DE

SANCTA VIRGINE ET MARTYRE

FILOMENA

J. C.

ALLOCUTIO EUCHARISTICA



DE

SANCTA VIRGINE ET MARTYRE

FILOMENA

Exsurge cor meum, exsurge diluculo, ut confitearis Domino in populis, et psallas illi in nationibus. Magna est enim super Coelos misericordia ejus, et usque ad nubes veritas ejus. Ipse infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat. Brachia debilia roboravit, ut exaltetur nomen sanctum suum, et omnes laudent eum in Ecclesia magna. Ipse de Coelo dimicavit contra Sisaram, et dedit illum in manu Deborae. Dominus ipse dedit Judith gladium in defensionem alienigenarum, ut gloriaretur super eam Jerusalem.

Gaudeamus ergo, F. C., gaudeamus omnes in Domino, qui ex ore infantium, et lactentium perficit laudem suam. Qui respiciens ancillulam suam Filomenam (nomen pulchrae dilectionis), luminis aeterni filiam, fecit potentiam in brachio illius, et ostendit in illa mirabilia manuum suarum, ut recti, et fideles in Domino, misericordiam consequantur, durique, et tardi corde ad credendum ferant confestim confusionem suam, cum ope, et intercessione Sanctae istius caeci videant, surdi audiant, muti loquantur, et claudi ambulent. Jam in omnem terram exivit sonus talium mirabilium, et nomen praeclarae Virginis, et Martyris grande sonat a solis ortu usque ad occasum. Quis talia fando temperet a lacrimis amoris, et animi grati in Deum, et Jesum Christum Filomenae Sponsum, qui adeo magnificavit illam, ut nullus sit, qui eam speciosam prae filiabus hominum non agnoscat? Quis non audit vocem sermonum grandium operum illius, cujus vox sonat, ut vox multitudinis, et tamquam rumor aquarum multarum?

Nunc autem venite, audite, et narrabo, quanta per Filomenam dignatus sit facere Deus animae meae. Pauper sum ego, et contemptus. Nihil grande exiguitas mea exponere potest de his mirabilibus testimoniis tuis, Domine. Annue tamen, ut liceat mihi testari, et annunciare populis, non quae audivi, sed quae vidi, et expertus sum in memetipso, ut cuncti gaudeant, et gaudium omnium sit plenum. Ipsa enim adimplevit me laetitia cum vultu suo, et fuerunt delectationes meae in dextera sua. Jam dirumpebatur spiritus meus in visceribus meis, cum dolores inferni per lustrum, et ultra circumdedissent me. Jam supernus ventriculus supercalefactus attrahebatur in seipsum, et vomitu habituali ad sepulcrum ducebar. Tunc cum consternatus jacerem super faciem meam, et vultus meus haereret terrae, manus ejus tetigit me, et erexit me super genua mea, et dixit mihi: nunc missa sum, ut sanarem te. Cum affligereris in conspectu Dei tui, exauditae sunt orationes fratrum tuorum, et ego veni in adjutorium tuum.

Et quidem venit in adjutorium meum per manus amantissimi fratris mei praebentis aquam, in qua sudarii Sanctae Martyris laciniam adnatabat. Potavi, et ex illa hora reliquerunt me mala, et melius habere coepi. Et quod tempus, et medicamina non valuerant, pauxillum spiritualis medicinae in nomine Domini, sub umbra alarum Divae Filomenae in momento, et in ictu oculi effecit.

Jure ergo, meritoque reprehendam: exsurge cor meum et exsurgam diluculo, ut cantem glorias Domini, qui mirifice misericordiam suam ostendit mihi, ut salutem in Sancta Filomena invenirem. Exaltabo ergo te, Domine, quoniam suscepisti me, et non permisisti, ut umbra mortis absorberet me. Exaltabo te, Domine, quoniam inveni gratiam ante oculos tuos, et precibus, et meritis hujus Sanctae Virginis, et Martyris misisti ad me manum suam victricem, ut enarrare possim cum gloria ipsius mirabilia tua. Et tu, Coelicola puella, quae tamquam prodigium facta es cunctis, et salutare tuum te suppliciter invocantibus donare dignaris, ne derelinquas me novissimum inter implorantes tuum patrocinium, cunctis diebus vitae meae, et ut tu nostra, ita et nos, vicissim, tua gloriatio esse possimus.

Ipsa quidem, F. C. erit gloriatio nostra, quoniam gloria, et gratia Dei fuit cum ea. Fuit cum ea ab infantia, quando Deum timere addidicit, et abstinere a pec-

catis. Ex tunc coepit desiderare mandata Domini: os suum aperuit, et attraxit spiritum, unde de infirma facta est fortis, et de parvula magna. Ex tunc enim declaratio sermonum Domini illuminavit illam, et intellectum dedit illi. Angelicis hinc moribus vivens in terra, vixit spiritu, non carne; propterea Deus eam nunc Angelum facit annunciantem virtutem Dei, et tamquam Michael superbiam mundi reprehendentem. Facit ut Gabriel fortitudo Dei humilibus corde, et ut Raphael coelestis medicina infirmis. Propter hoc gloriosa dicta sunt de te, Virgo, et Martyr inclita. Fuisti enim fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione, qua confessa es nomen Domini Jesu Christi, usque ad sanguinis effusionem bis, et ter ad martyrii coronam. Casta Virgo, Christo Domino Angelorum desponsata, inquinamenta mundi devitasti, ut Angelis merito comparareris. O virginitas virtus e Coelo accersita, imitata in terris, tu martyres facis, dum virgines Sponsum sibi inveniunt in Coelo. Per te Filomena, amore sancto saucia horruit noxium mundi amorem, et arduum iter ad Coelestia perrexit. Per te sequens Sponsum divinum imitatione perferendi temporalia mala, nunc sempiternis perfruitur bonis.

Quae autem mala non est perpessa? Infensissimus hostis animae suae, et Christianae veritati quale belli genus non indixit, ut a sancto proposito dimoveret, et a Sponsi amantissimi dulci complexu illam eriperet? Sed fortis adolescentula, cujus pretium de ultimis finibus, seductiones, et oblectamenta irrisit, palmam maritalem, et honores respuit, probraque, et tormenta sustinuit. Instant flagella, et sine intermissione verberatur. Ancora jam de collo jacet, et in profundum aquarum demergitur. Adest galeatorum multitudo ensibus districtis, et telorum ictus subit. Quoniam vero destinaverat virili pectore non admittere illicita propter aeternae vitae amorem, ideo flumina non obruerunt eam, et ex his omnibus liberavit eam Dominus, donec afferret illi sceptrum regni, et finis insidiarum, et laborum suorum consolationem acciperet. Fictilis tabula, ipsius ingenitae nobilitatis sanguine depicta, tenet adhuc nomen, et arma martyrii, lilio puritatis suae intexta, quae gloriam, et perenne illud trophaeum posteritati commendat. Haec ostendit quomodo sagittae parvulorum factae sint plagae eorum, et tela ignita retorta. Haec ostendit numquam profanum hostem Beatae adolescentulae tantum prodesse potuisse obsequio, quantum profuit odio,

cum candidatam imbellem adolescentiam Deo obtulerit. Haec ostendit quod quantum in ea iniquitas tyranni abundavit, tantum in ipsa gratia benedictionis refudit. Haec occasum ejus ante meridiem: haec initium luminis ejus sole meridiano clarioris. Quoniam tradidit corpus suum ne serviret idolis, et idolorum cultorum concupiscentiis, nunc coronata possidet palmam, et apud Deum est merces ejus, duplici virginitatis, et martyrii palma decorata.

Ipsa certamen forte certavit, et honor divinae dignationis illuminavit eam. Victrix gloriosum sanguinem effudit, ut immaculatam confessionem candidam indueret Virginitatem. Ad utrosque igitur honores amplissimam accepit dignitatem: flores nempe de virginitate candidos, et de passione purpureos. Unde fit, ut coronae illius nec rosae, nec lilia desint. Non inquinata vestimentis suis, dilexit eam Jesus speciali praerogativa castitatis, et amoris praecipui privilegio meruit honorari. Sic veniens de magna tribulatione ambulat in stolis albis, quas lavit in sanguine Agni, et recepta spiritu in tabernaculis justorum, nomen ejus scriptum fuit in Coelis. O beata mors, qua illa, depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad Coeli palatium perenniter regnatura ascendit. Ascendit ritu Sponsae, cincta mille millibus Angelorum, prospera sorte nupta Christo Principi; unde formosissima Regina inclyta fulget, dotata gloria Patris, et respersa gratia Sponsi.

Mortificata membra, et exanime cadaver, cujus oblatio, ut fumus aromatum acceptabilis, in conspectu Altissimi ascendit, via Salaria in Priscillae spelunca sepultum, honestus locus, et peculiare monumentum obsignavit. Tamen non cognovit homo sepulcrum hoc, donec impleretur numerus dierum suorum, et Dominus memor fuerit nominis ipsius per labia sua. Donec Altissimo placuerit manifestare magnitudinem suam in illa, ut videant omnes populi gloriam ejus. Nostris hisce diebus in quibus mala multiplicata sunt in terra, propter filios iniquos in Israel, qui recesserunt a testamento, ut faciant malum, quaerentes signa, ut credant, extulit Dominus, et ostendit nobis reliquias has, ut aperiantur oculi coecorum, et propitius sit omnibus sperantibus in eum per eas. Hae de Tiberi ad Hirpinos dum efferuntur, species earum immutata est, et Filomenam nobis ostendunt virgineis floribus stipatam, et de praelio victricem palmam reportantem. Admiramini, F. C. vestimentum ejus candidum ut nix, et capillos capitis ejus, ut lana munda. Ad-

miramini illam habentem claritatem Dei, et lumen sanguinis ejus simile lapidi pretioso, tamquam lapidis jaspidis, sicut crystallum. Ipse Sponsus, qui conscidit saccum suum, accinxit eam laetitia, elegit eam, et posuit ut signaculum in conspectu suo. Arca illius corporis, non vestes, sed misericordiam continere videtur, et tot mirabilibus cantare gloriam suam, ut sit nomen, et sepulcrum ejus gloriosum.

Felices populi, qui haec beata pignora possidetis! Benedicti vos a Domino, qui per ea facit vobiscum misericordiam. Dicite in nationibus, quae audistis, et vidistis, et bona, quae ostendit vobis Dominus in eis. Dicite gaudium vestrum, et exultatio vestra cum appareret in medio vestri Sacrum Corpus S. Filomenae. Quomodo vidistis eam venientem ut sol post auroram exoriens, et croceos radios emittens. Crocei quidem radii erant rivi sanguinis ex illius venis defluxi, et in ampulla asservati, qui sole ipso splendidiores Coelum illustrant. Hunc sanguinem, vestri levamen, et solatium, Angeli contuentes oblectabantur, Daemones horrebant. Sanguis enim erat salutaris, sanctus, qui pulchras Ecclesiae arbores irrigatione foecundat. Ipse Diabolus horrebat, recordatus quippe Sanguinis Domini, cujus amore hic effluxerat. Horrebat, et in furore suo tabescens, dentibus infremuit, et tempestates, et turbines ab aestu inferni excitavit; desiderium tamen ejus periit. Ipsa enim imperabat ventis, et religavit Daemonem in desertum montis superioris, et salva facta est Arca sacri corporis cum suo comitatu. Interea species ignis a Luna erat super eam a vespere usque mane, Coelo nubibus operto manente, ut ambularet in tenebris non timens a timore nocturno, et non offendentes ad lapidem pedes efferentium illam. Quanto tremore vidistis eam in lectulo, sua virtute, sedentem, et oculis annuentem ne quid novi moliretur in ea, dum sudor, emissiones Paradisi, undique linea sua tingebat. Quomodo. . . . .

Sed benedictus Deus qui tanta, et tam grandia mirabilia operatur in ea? Illumina, Domine, tenebras mentis meae: adjuva fidem meam. Tu qui possedisti Filomenam ab initio viarum suarum, qui dux fuisti in itinere, et corona aurea in agone, tu quoque dirige gressus meos ad confitendum nomini tuo in innocentia cordis, et puritate manuum mearum. Tu qui exaltasti super terram habitationem ejus, ut ipsam gentes deprecarentur, ut auferas a nobis tribulationem, tu meritis, et intercessione hujus di-

lectae tuae sponsae sis nostra consolatio, et levamen in hac lacrimarum valle. Tu maestis hujus vitae rebus, per eam, etiam jucunda permisce. Tu qui constituisti illam columnam in templo tuo, mitte nobis auxilium de Sancto, ut inspicientes, faciamus, et accessum habeamus in gratiam istam, in qua ipsa tecum stat, et sic gloriemur in spe, quae non confundit. Tu qui eam ad te sine macula traxisti, amplius lava nos ab iniquitate nostra, ut candida stola induti, cum ea post Agnum incedere possimus, et tecum regnare in Coelis, per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

BENEVENTI — EX TYPOGRAPHIA CAMERALI.